IN FUNERE

IOHANNIS EX MARCHIONIBUS DE ANDREA

PATRICII NEAPOLITANI

CARMEN

P. D. ANDREAE M. VALESII

SODALIS BARNABITAE



BONONIAE
EX OFFICINA SAXIANA
A · MDCCCL ·
Permissu Praesidum

Χρὴ θαῤῥεῖν, καὶ τῆς λύπης παραινεῖν εἰς τὸ ἐνδεχόμενον· καὶ μεμνῆσθαι μὴ μόνον τοῦ θανάτου τῶν τετελευτηκότων, ἀλλὰ καὶ τῆς ἀρετῆς, ἧς καταλελοίπασιν.

Ἐκ τοῦ σωζομένου τοῦ Ὑπερίδου.

Animo erigi opus est, et moerorem, quoad fieri potest, minuere; *neque solum defunctorum obitûs meminisse, sed et virtutis, quam reliquerunt.*

Ex Hyperidae fragmento.

AD

FRANCISCUM MARCHIONEM IOHANNIS F.

Jam nonus exactis completur mensibus annus,
Ex quo crudeli direptum morte parentem
Effusis urges lacrymis, Francisce: sed imo
Non lenire valent defixum corde dolorem
» Pausilypi colles, non candida Mergillina,
Queis Haemus cedat, cedant Phthiotica Tempe;
Non Stabiae lacubus riguae, non Vesvia rura;
Non choreae lautaeque dapes, non mollia strata.
Nam qua (1) te vertas, tristissima noctis imago
Heu! subit ante oculos, quum morbo infractus et aevo,
In te luminibus genitor languentibus haerens,
Letali (2) tremulas protendit frigore palmas,
Supremumque vale exiguâ ter voce locutus.
Ut te paullisper curarum pondere solvam,
Me Latias excire jubes in carmina Musas:

Quandoquidem moerens Orpheus uxore peremptâ,
Threïciis aegrum est fidibus solatus amorem,
Ac gelida Eurydicen Riphaeis arva pruinis,
Eurydicen Hebri docuit resonare fluenta.
En quid agam? fessasne oneri submittere vires
Audebo? an tua demandem jussa irrita ventis?....
Quamquam mens invita haeret, praecepta facessam:
In magnis voluisse satis. Nunc ergo canenti
Adsis, et praesens ingentibus annue coeptis.
Praecipuas patris laudes memorâsse juvabit:
Nam si quaeque egit, numeris attingere nitar,
Ferrea non vox sufficiat, non pectus ahenum.

Ut primum dias Iohannes (3) lucis in auras
Prodiit, et querulo vagitus reddidit ore,
Affuit ad cunas caelo delapsa sereno
Virtutum stipata cohors: Spes nescia falli,
Incorrupta Fides, rubeoque Modestia vultu,
Adversis firmum praebens Constantia pectus,
Et nunquam rapido incedens Prudentia gressu.
Quas, longe formâ praestantior, alma praeibat
Religio. Vernas circum sparsere corollas;
Oscula tum puero legerunt, talibus orsae:
Salve, magne puer: memori tibi condita mente,
Quae loquimur, vigeant, et nullum obliteret aevum.
Te matris ductum placide spectavit ab alvo
Omnipotens Sator: heroum te fortia facta
Exaequare cupit, clara unde emanat origo.
Hinc tibi caelestes cum lacte infundere mores
Nos jussit, sciteque tuam nutrire juventam;
Ut firmata virum vix dum te fecerit aetas,

Sis patriae decus, et rebus tutamen egenis.
Macte esto: volvit quae fatum, arcessere (4) pergas.
Quis referat, quantum a tenero profecerit ungui,
Tantarum vigili altricum moderamine fretus?
Laevi florebant nondum lanugine malae,
Maturi quum signa daret felicia sensùs.
Non Veneris flecti illecebris: non sordida Circes
Pocula libare: ignavo non tempora luxu
Ducere: non gazis celsàque tumescere stirpe:
At pius in Superos, sibi saevus, comis in omnes,
Cecropias Latiasque addiscere sedulus artes.
Tandem, cui Themidis pateant sacraria, dignum
Ut vidêre Deae, tristes componere lites,
Ac ferre aequato dederunt examine lances.
Incassum famulas auri malesuada cupido
Est hortata virum pretio supponere leges:
Justi nam retinens, et vindex fraudis avarae,
Alto contemnit pravorum munera vultu.
Unus amor servare fidem, sua reddere cuique,
» Parcere subjectis et debellare superbos.

Interea Ausonios, revoluta ex Alpibus, horrens
Praecipiti invadit tempestas turbine campos.
Excutitur solio Petri (5) Successor, et arctis
Innexus vinclis, Ligures (miserabile dictu!),
Ac dein Sequanicas compellitur exsul in oras,
Squallenti effetam (6) tracturus carcere vitam.

Ipsa etiam laniata genas, laniata capillos
Parthenope, abstractos gremio, quos dulce (7) fovebat,
Borbonidas doluit Siculorum in litora vectos.
Immanis Cyrni (8) soboles per fanda nefanda
Europes inhians sceptrum constringere dextrâ,
Templa rapit, viduat cultoribus arva, maritis
Respuere assentit sociatas foedere sponsas (9).
Tam diras scelerum facies, tot monstra perosus
Iohannes, vitare urbem, secedere rostris,
Et ruri cautus placidam captare quietem.
Heic teneram, sibi quam genuit Lucretia (10), prolem
Instituit, pulchro (11) exacuens pietatis amore:
Haustibus heic Sophiae potat majoribus undas:
Et nunc Actaei (12) umbrosis spatiatur in hortis,
Docta Stagiritae (13) nunc scripta volutat alumni.
Quin etiam Tusco (14) fastos interprete reddit
Eloquio, gener (15) Agricolae queis jure superbit,
Et Livî ac Crispi (16) famam praevertere tendit.

Sed jam lugubres Siren exsolvit amictus:
Quippe triumphali praecinctus tempora fronde,
Laetitiâ populis plausuque evantibus ultro,
Florea Sebethi Fernandus in arva remigrat.
Magnanimo haec primum surgit sententia regi,
Esse nefas, variis si dudum exercita fatis,
Nondum digna ferat Iohannis praemia virtus (17).
Ergo reluctantem tacitis prodire latebris

Imperat, atque aulae properum succedere tectis.
Ut vidit, palmas gaudens utrasque tetendit;
Gratatur reducem, lacrymis sic fatus obortis:
O praestans animi, quo non mihi carior alter,
Quae segnes tenuere morae? Nonne otia taedet
Illaudata sequi, gravibus dum saucia plagis,
Insignes usu rerum quicumque feruntur,
Auxilium merito deposcit patria natos?
Ecquis te potior solamen ferre roganti?
Flectendis agedum imperii mihi fidus habenis
Sis comes: et (verum si mens praesaga tuetur)
Tempora confestim priscum vertentur in aurum.

Felicis longe eventûs lateque peragrat
Nuncia fama urbes: certatim gaudia cunctis
Testari lubet, ac regi persolvere grates,
Quod tanto sit sponte virum dignatus honore,
Unus qui prono valeat succurrere saeclo.
Exitus actutum communia vota secundat.
Scilicet, ut pontum ac terras quum turbida miscet
Luctantum nisu ventorum exorta procella:
Quare illic (18) fractae procumbunt aequore puppes,
Hic ramis silüae, et glebae nudantur aristis:
Si septemgeminis distincta coloribus Iris
Exserat optatum rescissis nubibus arcum;
Flamina desistunt, alludit fluctus arenis,
Ridet jucundo conspersum lumine caelum:

Sic ubi Iohannes regni moderanda capessit
Frena (19) manu, in nigras Erebi detrusa speluncas
Crímina vanescunt; positis civilibus armis,
Pectora mulcentur; coëunt in foedera dextrae;
Fruges apparet diffundeus Copia cornu.

Est sibi promeritos cultus ante omnia curae
In decus antiquum summo instaurare Tonanti,
Arcibus (20) et quotquot proceres numerantur Olympi.
Foeda situ templa, aut crebris labentia rimis
Integrat, largo cumulans donaria censu:
Quin nova moliri, stellisque educere certat.
An non, Parthenopes quisquis petit advena sedes,
Silvicolûm (21) Patri, quo exsultat Paulla, dicatum
Delubrum stupeat? Libyco de marmore centum
Daedaleà (22) effictae consurgunt arte columnae:
Orbiculatà illis fulcitur mole cacumen,
Uno quod Phoebi radios admittit hiatu.
Insculpto valvae collucent aere rigentes.
At domus interior prorsus miranda patescit
Regifico fastu. Cum gemmis dimicat aurum:
Nec conserta vago desunt aulaea Maeandro,
Nec pictae effigies Divûm aut spirantia signa.

Quid memorem tractos noctesque diesque labores,
Ut sibi commissi nullo non munere pacis
Utantur populi? Campanus gaudet arator,

Quod Liris, qui olim brumali turgidus imbre,
Undique praeruptis ripis, flaventia victor
Jugera sternebat; valido nunc aggere septus,
Aeratum dorso pontem sufferre coactus,
In mare Tyrrhenum pacatior influat amnis.
Laetatur Marsus, cujus perfossa (23) cavernis,
Longo saeclorum cursu labente, refecta
Claudia praegrandi sint emissaria sumptu,
Inter quae rursus concludat Fucinus undas.
Pellitus gestit Calaber, quod nulla tremiscens
Agmina latronum, qui pridem vivere rapto,
Et pingues noctu assuêrant deducere praedas,
Securus patrio senium componat agello;
Cernere seu flexos alterna in proelia tauros,
Vel pastu reduces ad mulctra accire capellas,
Seu vites serere et ramos tondere fluentes,
Vel blandos placeat captare sub arbore somnos.

Alma sed in primis, Graio possessa colono,
Urbs benefacta capit, finxit cui naufraga nomen
Dulichios experta dolos Acheloïa (24) virgo.
Hic amplae assurgunt aedes, ubi nacta quietum
Perfugium detrita fame morbisque senectus:
Hic nemorum luci et vitreis pomaria rivis
Uvida, quo festis mos est impune diebus,
Fractas ut recreet vires, concurrere plebi:
Hic plateae et circi: formosa hic strata viarum:

Hic studia ingressae pubi geminata Lycea.
Demum qui regni graviora negotia tractent,
Omni quaeruntur selecti ex ordine cives.
Ingenium ac mores potius spectantur, avorum
Stemmata nobilibus quam collustrata triumphis,
Et qualis, non unde satus. Sic fida merentes
Gloria sectatur, non caecae obnoxia sorti,
Non opibus parta, aut vulgi fallacibus auris.

Natali, venerande Heros, haec maxima terrae,
Ullis non parcens, praebebas dona, periclis:
Quum tibi (proh durum!) rebus mors invida nostris,
Stamina disrupit. Nos sane angore peresos,
Lugentes, inopes liquisti: tutus at ipse
Optatà frueris requie, Superisque remixtus,
Lucis inaccessae radios, quibus undique septum
Considit solio Numen, sine tegmine cernis.
Nunc si felicem tangunt mortalia mentem,
Quae tellure fuit, dum te vitae aura fovebat,
Sidera transgresso nostrî ne cura recedat.



Α'ΠΟΣΗΜΕΙΩ'ΣΕΙΣ.

(1) *Qua* eleganter usurpatur pro *quacumque*. Vadem do Sallustium, qui Jurguth. cap. 108. ait: „ Omnia, *qua* visus erat, constrata telis, armis, „ cadaveribus; et inter ea humus infecta sanguine. „

(2) *Letum* cum compositis citra aspirationem scribendum esse, ex antiquioribus MSS. lapideisque monumentis evincitur.

(3) De hujusce nominis scriptione P. D. Raphaël Notari Sod. Barnabites in opere, cui titulus: *Trattato dell'Epigrafia Latina ed Italiana (pag.65. edit. Parmens.)* haec praeclare adnotavit: „ I più dei latinisti .... scri- „ vono *Ioannes* senza aspirazione: ma eglino non hanno osservato che „ questo nome è di origine ebraica, nel quale idioma si scrive con fortissima aspirazione יוחכן *Iohhannen*. „

(4) Hoc verbum non ab *arceo* deducitur (quum contrariam habeat significationem) sed ab antiquo *ar* pro *ad*, et *cio* vel *cieo*. Hinc eorum patet error, qui *accerso* pro *arcesso* scribendum autumant. Apposite ad rem Vossius: „ Multis argumentis evincere possumus, *accerso* non esse latinum „ sed posterioribus saeculis corruptum ex *arcesso (Etym. cap. 40.)*. „

(5) Sermo est de Pio VII. P. M. quem Apostolicâ e Sede deturbatum, Savonam primum, inde vero Fontem Bellaqueum Napoleo relegavit.

(6) Sunt qui huic voci et agnatis diphthongum appingunt; sed minus commode.

(7) Sumptum adverbii more pro *dulciter*.

(8) Corsica, ubi Napoleo ortus, *Cyrne* vel *Cyrnos* graeco nomine nuncupatur. Huc spectat illud nescio cujus poetae: „ Corsica, quae graio „ nomine *Cyrnus* eras. „

(9) In Collegium Decemvirorum litibus judicandis adscitus fuerat Iohannes, quum impia lex *de divortio* per Gallicum codicem sancita est. Pientissimus Vir fori pericula veritus, magistratu sponte dimisso, in suburbanam villam concessit.

(10) Uxorem duxit Lucretiam ex Comitibus De Rivéra, feminam quum nobilitate generis, tum gravitate morum, omnique domesticarum virtutum laude praestantem.

(11) Probatiores Philologi aspirationem ex hoc vocabulo removendam docent, excepto si vocalis aequatur: quod in recto singulari, et in superlativo accidit.

(12) Platonem intellige veterum Academicorum principem. Veterum, inquam: recentiorum enim pater, teste Tullio, fuit quidam Arcesilas. Hujusmodi porro nomen ab Academi villâ Athenis proximâ mutuati sunt, quo disceptaturi conveniebant.

(13) Aristotelis nempe Peripateticorum institutoris, qui fuit ex Stagirà seu Stagiris *(plur. neutrius gen.)*, Macedoniae urbe, prope sinum Strymonicum.

(14) Buri degeos, C. Cornelii Taciti Annales Italice vertit.

(15) Cur Tacitum Cn. Julii Agricolae generum dixerim, liquet ex ipsius Historici subjectis verbis: „ Consul (Agricola) egregiae tum spei filiam „ (Juliam) juveni mihi despondit, ac post consulatum collocavit *(Vit. Agric. cap.* 9.). „

(16) Scilicet T. Livii Patavini, et C. Crispi Sallustii Amiternensis. Vide, sis, orationem Mureti *(edit. Lips. A.* 1698. *T. II. pag.* 353.) ubi Taciti laudes perbelle celebrantur.

(17) Postquam Ferdinandus IV. domi forisque firmatà pace, utriusque Siciliae sibi ditionem adseruit, amplissimis muneribus, quod jamdiu in votis habuerat, Iohannem cumulavit. Nam tabellariis publicoque cursui, et paullo post totius regni vectigalibus procurandis, regiisque Urbis negotiis gerundis praefecit.

(18) *Illic* (ut ipse verborum contextus docet) ad *pontum*; *hic* ad *terras* referendum.

(19) Quidquid Dausquius in contrarium sentiat, genuinum hujus vocabuli etymon affert Isidorus *(Etymolog. lib.* 20. *cap.* 16.): *Frena* dicta, quod haec equi *frendant.* „ Ideo Manutius, Cellarius, Forcellinus, aliique diphthongum expungunt.

(20) Sensus est: *quotquot proceres numerantur* (subintellige *in) arcibus Olympi.*

(21) Ipso auctore, celeberrimum Neapoli templum Divo Francisco Paullano Minimorum Patri excitatum est: quod molis amplitudine in orbem actae, marmoreo pronao, pretiosiori interno peristylio, ac uno foramine in supremo culmine lumen admittente, Agrippianae seu Rotundae Aedis absolutissimum praefert exemplum.

(22) Melioris notae poetas evolventi penultima hujus adjectivi syllaba anceps occurrit. Propertius v. gr. corripuit eleg. 4. lib. 2. ubi dicit de Ariadna: „ *Daedaleum* lino quum duce rexit iter. „ Horatius contra bis eam produxit; videlicet ode ult. lib. 2. „ Jam *Daedaleo* ocior Icaro „ et ode 2. lib. 4. „ Jule, ceratis ope *Daedaleâ.* „ Nec mirum; quum graecum thema duplex sit: Δαιδάλιος et Δαιδάλειος.

(23) Tanti Viri auspiciis, aliquà saltem ex parte instauratum fuit emissarium, quod Tiberius Claudius Romanorum V. Imperator exstruxit, ad Lacum Fucinum in Lirim emittendum. Audi Svetonium *(Vit. Claud.* 20.): „ Opera multa (Claudius) perfecit: in his emissarium Fucini lacus. Per tria „ autem passuum millia, partim effosso monte (*), partim exciso, cana- „ lem absolvit aegre et post undecim annos; quamvis continuis triginta

(*) Ab incolis nunc dicitur: *Monte Salviano.* Hinc ego cecini: *cujus perfossa cavernis, etc.*

,, hominum millibus sine intermissione operantibus. ,, Ceterum siqui plura desideret, egregium conferat opus Caroli Afan de Rivera: *Progetto della restaurazione dell' emissario di Claudio, e dello scolo del Fucino (Napoli stamperia del Fibreno* 1836.)

(24) Quomodo Dulichios (idest *Ulyssei*) dolos cum ceteris sororibus Parthenope experta sit, describit Homerus Odyss. **M** a v. 154. ad 200. Ipsum consule, si vacat.



IMPRIMATUR

Fr. Feletti O. P. Inq. Gen. S. O.